

UC-NRLF
$B 14 049


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS
768 q
H51

DE
NONII MARCELLI LOCIS PLAUTINIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ALBERTINA

RITE CAPESSENDOS

DIE VI. MENSIS DECEMBRIS H. XII L. C.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

MAXIMILIANUS HENNIG

BORUSSUS OCCIDENTALIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

W. KALAU DE HOFE, CAND. PHIL.
O. MÜHLENBACH, STUD. PHIL.

REGIMONTI PR.

TYPIS TYPOGRAPHIAE LEUPOLDIANAE.

MDCCCLXXXIV.

PRAECEPTORI CARISSIMO

VIRO DOCTISSIMO

AEMILIO BROCKS

DIRECTORI ILLUSTRISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Fabularum Plautinarum cum diu una recensio, quae codicibus saec. undecimi duodecimique repraesentatur, exstitisset, huius initio saeculi ab A. Maio Mediolani codicem Ambrosianum inventum esse nemo nescit. Ab illo tempore cum multi alii viri docti tum Fr. Ritschelius operam emendandis fabulis Plautinis navantes, quamquam diu inter doctissimos quosque viros maxima contentio erat, utri recensioni palma esset tribuenda — satis sit iudicia attulisse Fr. Ritschelii, qui in praef. ad Trin. ed. p. 63 dicit: „Sed quam tam luculentis documentis praestantiam Ambrosiani codicis satis demonstrasse videor, eam idem probe intelligo non continuo ipsius recensionis bonitati tribuendam esse: immo largiendum est pari vel adeo majore bonitate potuisse Calliopii recensionem esse“[1]), Gepperti, qui in praef. ad Trin. ed a. 1854 p. 117 Ambrosianum praeferendum esse censet, Useneri idem fere dicentis, Bergkii Palatinos anteponentis — recensionem Ambrosianam non esse negligendam tamen omnes intellexerunt, cum multis aliis de causis tum propterea, quod est saeculi quarti vel quinti. Sed et hic codex libris multorum grammaticorum aetate longe superatur, inter quos praeter alios nominandi sunt Festus et

1) quae sit recensio Calliopii Ritschelius eodem loco explicat; quam false, iam Studemundus demonstravit.

Nonius Marcellus. Quorum testimonia quanti momenti ad emendandas Plautinas comoedias sint, nemo dubitabit, praesertim cum hi quoque ad vetustiores fontes redeant. Et de Festo quidem et e quo fonte eius rivoli fluxerint, Eduardus Leidolph quaestionem scripsit, quae superscripta est: „De Festi et Pauli locis Plautinis"[1]), qua demonstravit, illum e Verrio Flacco hausisse, qui, cum antea iam „utriusque nostrae fabularum Plautinarum recensionis fundamenta quaedam extitissent"[2]) Ambrosiano usus sit.

Nonius autem Marcellus Tiburticensis sive Tibursicensis[3]) qua recensione fabularum Plautinarum usus sit, id longius hac dissertatione quaerere mihi proposui. Sed priusquam ad illud propositum adeamus, antea nobis perquirendum est, quam rationem in conscribendo opere secutus sit homo ille, ut ait Bentlejus[4]), fatuus, cum quo qui comparari posset levitate et stupiditate neque antiquitas neque nostra aetas ullum grammaticum tulit".[5]) At de hac re satis probabiliter egit Paulus Schmidt in libro: De Nonii Marcelli auctoribus grammaticis". Lipsiae 1868. Ex hoc libro, quod ad meum propositum pertinet, breviter hic enarrare mihi liceat.

Primus hanc rem illustravit Martinus Hertz in dissertatione: Aulus Gellius und Nonius Marcellus in Fleckeisens Jahrbb. 1862 p. 705, quoad ad Gellium pertinet. Sed et alios scriptores exscripsit, sive libris ipsorum sive commentariis usus. Plautum ipsum non exscripsit, sed duobus e commentariis hausit, quorum in altero (majore)

---

1) in „commentationes philologae Jenenses tom II. Lips 1883". p. 199—152.

2) Leid. loc. cit. p. 215.

3) de nomine et origine cfr. Gerlachium et Rothium in ed. N. M. praef. p. VII s. et Quicheratium in editione praef. p. V.

4) ad Hor. Sat. I. 2. 129.

5) cfr. Büchelerum Rhein. Mus. XIII p. 596.

omnes Plauti comoediae Varronianae inerant praeter Mercatorem, Mostellariam, Vidulariam[1]), in altero (minore) non erant nisi tres hi: Amphitruo, Asinaria, Aulularia. Exemplorum, quae e Plautinis comoediis proferuntur, duo exstant ordines. In conscribendo enim opere hanc rationem secutus est, ut lemmate quodam prolato e scriptore aliquo adiceret exemplum, quod Schmidtium secutus exemplum primarium dicam, quod Schottmiillerus „Stammcitat" nominat[2]), quod multa alia exempla ex aliis scriptoribus sumta sequuntur, quibus Schmidtius nomen exempla subseciva dat secutus Schottmüllerum, qui ea „Anhaengsel" nominat. Haec exempla e commentariis, e quibus exemplum primarium fluxit, prompsit: e. g. si Nonius p. 10. 12[3]) sub lemmate „ilex" locum Plautinum (Pers. III. 3. 4.), tum exempla e Lucilii, Varronis, iterum Lucilii, Caecilii, Sisennae, M. Tullii libris profert, primum tantum exemplum e scriptore ipso, cetera e notis hujus scriptoris exemplari additis hausit. Ita deinceps diversos ordines differre possumus: ordinem exemplorum Plautinorum, Lucilianorum, Attianorum, Pomponianorum, Lucilianorum, Pacuvianorum, Ciceronianorum, Afranianorum, Vergilianorum, Terentianorum, Varronianorum, Sisennianorum, Sallustianorum. Ad unum quodque ex his scriptoribus sumptum exemplum primarium exempla subseciva ex aliis scriptoribus adjecit, quae, ut supra dictum est, cepit e commentario ad scriptorem, e quo exemplum primarium derivavit. Ut de Attianorum exemplorum ordinibus exemplum petam, sub lemmate contempta p. 470. 1. exemplum Attianum e Philocteta sumptum sequuntur exempla Naevianum, Titinianum, Ennianum, Plautinum. Quantum inter hoc exemplum Plautinum sub-

1) ceterae comoediae, quae citantur, non erant in his commentariis, sed horum loci omnes sunt exempl. subseciva cfr. infra.

2) in disputatione: Ueber die Bestandtheile des ersten Capitels des Nonius Marcellus. Symb. phil. Bonn. p. 809—832.

3) In citandis paginis sequor ed. Mercerianam a. 1614.

secivum et illud primarium, de quo supra dixi, sub lemmate „ilex“ intersit, nemo erit quin intellegat. Est enim illud depromptum ex exemplari comoediarum Plautinarum vel e textu commentarii Plautini, hoc e notis, quae adjectae erant commentario Attiano.

Quare si interrogamus, qua recensione Plautinarum comoediarum Nonius usus sit sive commentatores, e quibus Nonius hausit, consentaneum est, illa exempla sola perquirenda esse, quae e Plauto ipso emanaverunt, id est exempla primaria.

Plautum ipsum, ut supra diximus, Nonius in manibus non habuit, sed, ut Schmidtius[1]) docuit, duos commentarios, qui unde fluxerint scire se negat. Commentariorum enim ad Plautum, quos Sisennam et Terentium Scaurum scripsisse Ritschelius demonstravit, neutrum Nonio fuisse, per Schmidtium[2]) docemur, sed horum commentariorum, quibus Nonius usus est, alterum e Verrio Flacco, id est e Varrone, alterum minorem e Probo et Varrone fluxisse. Sed ut verba ejus proferam:[3]) „acquiescendum est in hac re . . . Nonii copias ex iisdem grammaticis esse repetendas, ad quos Charisii auctores et Prisciani rediisse verisimile est. Atque gravius duxi lemmata Noniana quoad eius fieri posset ad antiquos illos et veros revocare fontes quam ad novellos libros, quos Nonius ipse manibus versasse videretur“. Est autem re vera parvi momenti scire nos, Nonius ipse e qua recensione hauserit aut ei commentatores, e quibus doctrina Nonii compilatoris emanarit. Extitisse iam illis temporibus, quibus commentarii hi ad Plautum orti sunt, fundamenta duarum recensionum illarum cum alii tum novis momentis nixus nuperrime Leidolphus[4]) perlucide exposuit. Longum est illa longius persequi.

1) l. c. p. 35.
2) l. c. p. 41.
3) l. c. p. 155.
4) l. c. p. 214.

Deinde perquirendum nobis est, quo modo Nonius in excerpendis commentariis egerit. Ac primum quidem dicendum est, semper fere ea quae excerpsit exscripsisse eum, ita ut verba quoque, quae ad prius pronuntiatum pertinent, dummodo eodem versu continerentur, quo exemplum proferendum dabatur, quamvis a sententiae sensu essent alienissima, tamen non omitteret. Sed hoc in ineuntibus tantum versibus, nunquam in exeuntibus fecit. Sententiam autem inchoatam nunquam in medio desiit, sed usque ad ultimum verbum protulit, hac in re eo usque provectus, ut unum quoque verbum ad idem pronuntiatum pertinens e sequenti versu protulerit, ut p. 12. Truc. II. 7. 15—17.

15 Haec
16 Cum video fieri, suffuror, suppilo, de praeda praedam
17 Capio.

aut Pers. II. 1. 2—3:

2 Nimis tandem me quidem pro barda et pro rustica reor habitam
3 Esse abs te.

alia.

Omnino ita fontes suos Nonius secutus est, ut nunquam fere quicquam mutaverit; fecerunt idem illis temporibus omnes fere grammatici, sicut demonstravit Leidolphus l. c. p. 202. Nonius autem erat, ut supra diximus, tam stultus et fatuus, ut in suum commodum citatas locos mutavisse eum vix credamus. Nonnumquam tamen, ubi ad declarandum lemma aliqua pars versus satis esse ei videbatur, alteram partem aut nonnulla verba sententiae allatae omisit, qua re in eo quoque commentario, quo usus sit, haec verba defecisse concludere nos non posse consentaneum est. Ut exempla proferam:

p. 533 Rud. IV. 2. 5 sub lemm. „horia" Nonius affert: „Salute horiae, mari fluctuoso", ubi Plautus scripsit: Salute horiae, quae in mari fluctuoso[1]).

1) sed de hoc loco cfr. infra p. 8.

p. 143 Capt. III. 5. 107 sub lemm „neminis“ apud Nonium invenimus: „neminis Me miseret, nam mei miseret neminem“; Plautus autem habet: neminis Misereri certumst, quia mei miseret neminem“. Nonio enim cum hic demonstrare vellet, genitivum nominis nemo nonnunquam pro „nullius“ „neminis“ dictum esse, satis esse videbatur dixisse, quod dixit. Huc pertinet, quod pluribus locis singula verba omisit, sive neglegentia sive ratione commotus, ut:

p. 102 sub lemmate egurgitem: argentum
p. 164 „ „ rurant: ruri
p. 172 „ „ socienno: hinc[1])
p. 454 „ „ obsequi: ab.
p. 483 „ „ quaesti: aliud.[2])
p. 510 „ „ munditer: vix .... que
p. 552 „ „ catapultae: itidem.

alia.

Quaedam verba a Nonio esse mutata, ubi facile fieri potuit, nonnulla exempla docent, quibus in mutandis quo consilio sit perductus, facile demonstrandum erit. Sunt autem exempla haec: Nonius scripsit:

p. 12. Trin. II. 1. 21 sub lemm. vestispici: „nox datur, ducitur familia tota: Vestispici, unctor, auri custos“. Omnes codices hunc locum ita praebent. Plauti codicum Palatini habent: vestisplicae, A: vestispica; de hoc loco dicam infra[3]). Secutus est hic codicem A, sed ita, ut pro feminino masculinum poneret, quod demonstratur lemmate ipso superscripto „vestispicī“, qui, ut dicit, appellabantur vestium custodes servi. Qua ex re si quis concludere vellet, in fonte idem genus fuisse, erraret; consentaneum enim est consilio mutasse Nonium. Idem mutavit

p. 102 Epid. IV. 2. 12 sub lemmate egurgitem „atque

1) cfr. infra p. 21.
2) cfr. infra p. 8 et 21.
3) cfr. p. 22.

egurgitem domo prorsus" pro „prosus" in A tradito, quod haec forma erat notior; sed potest hoc esse vitium sciptoris archetypi Noniāni.

p. 210 Pers. IV, 3. 23 sub lemm. lucrum, ubi in exemplo „Nunc ea narrabo, unde tu pergrandem lucrum facias" ea pro eam posuit, quod versus, in quo substantivum est, ad quod „eam" refertur, hic abest, cum genus neutrum „ea" sine relatione poni posset. Mutavit et

p. 468 Trin. IV. 1. 20 sub lemm. „deluctavit", ubi pro pronomine relativo in versu: „quibus aerumnis deluctavi", pronomen demonstrativum: „cum hisce" posuit, ne haberet pronomen relativum sine ulla relatione.

p. 533 Stich II. 2. 42 sub lemm. „Cercuram" Nonius scripsit: „percunctor portitores", cum codices tradant „percontor"; sed paucis versibus post v. II. 2. 46 in A invenimus „percunctamur"; mutavit igitur, ut uterque locus consentiret. Possum afferre alios locos; sed satis sit hos protulisse.

Quotiens Nonio occurrebant verba inusitata sive „nove dicta", ut utar hoc verbo Noniano, saepe per inscientiam falsa verba scripsit, ut p. 539, 540, 548 in versibus illis ex Epidico sumptis.

Sed hac in re etiam ii, quibus codices debemus, multa peccare potuerunt et peccaverunt, ita ut saepissime e cujus calamo vitium aliquod fluxerit differre non possimus. Ita factum est, ut totum fere Nonii opus pessime traditum habeamus. Ne dicam de varietate orthographiae, multos locos invenimus, in quibus qua ratione in emendando loco utendum sit vix sciamus. Attamen optimi quique codices, qui sunt cod Harlejanus [H], Guelferbytanus [W], Parisiensis cod n. 7667 [P], quamquam saepe inter se dissentiunt, tamen omnes ex uno fonte derivasse mihi videntur, quod optime demonstrare me posse puto, si plures locos pessime traditos hic componam. Sunt autem e. g. praeter alios hi:

p. 102, ubi sub lemmate „illex“ in omnibus Nonii codicibus videmus: „Impure, illex torialim et torialium designator est, qui involvebant labes populi“, quod nihil esse unusquisque facile intelleget. Qua ratione ille locus sit sanandus, iam Mercerius cognovit, qui secundum Pers. III. 3. 4 hic correxit: „impure, inhoneste, iniure, illex, labes popli“, recte illis verbis: torialim usque ad involvebant sub lemm p. 11 sequente positis. Eum autem locum tam insalsum a Nonio ipso scriptum esse nemo prudens contendet; sed scriptorem archetypi, unde nostri codd. hauserunt, erroris auctorem esse consentaneum censeo. Nullus autem codex aliter ac ceteri hunc locum exhibet, quo mihi quidem omnes ad unum archetypum redire demonstratum videtur. Item, quod omnes Nonii codd. tradunt

p. 123 sub lemm. „incitas“ intelligi non potest. Habent enim: „Alii exsolati abierunt, alii emortui; Hem! nunc hic cuius tota incitas redactus est“. Probabilis mihi videtur conjectura illa Gerlaçhii Rothiique: „hic, cuiust, ut ad incitas redactus est“. — Fortasse huc pertinent et locus ex Aulul. captus

p. 483 sub lemm. quaesti: „Nam hic apud vos nihil est quaesti furius“ pro: „aliud quaesti furibus“ apud Plautum, et versus e Rudente demptus:

p. 533 sub lemm. horiae: „Salute horia, mari fluctuoso“, quod est in Plauto: „Salute horiae, quae in mari fluctuoso“.

p. 484 sub lemm.: „victi“ Nonii codd. omnes afferunt: „pro victi tui cotidiani ventrem ad me afferas“, ubi Plautus Capt. IV. 2. 75 scriptum habet: Proin tu tui cottidiani victi. Sed de hoc loco infra dicemus.

p. 509 Nonius: venit deplorabundus, Plautus: plorabundus devenit.

p. 539 Nonus: an regillam tuniculam indulam ac mendiculam? Plautus: an regillam induculam an mendiculam.

Hoc rectum esse nemo negabit. Ortum est illud Nonianum „intruso glossemate“, ut ait Goetzius[1]).

Ita alia multa proferre possum; sed consentaneum futurum fuisse credo rectum esse, quod supra diximus, quamquam pessime traditus ad nos venerit liber Nonianus, tamen omnes codd. ex uno archetypo fluxisse.

Ex his, quae diximus, facile intellegi potest, quam difficile sit, quod nobis proposuimus, recte et perlucide perquirere. Accedit, quod in cod A tam multa desunt, quae Nonius affert, ut non paucis locis, quamquam cognoscimus, e codicibus Palatinis non fluxisse eos, tamen certe Ambrosianum palimpsestum esse fontem dicere non possimus. Sed si multos locos ex hoc fonte derivasse viderimus, illos quoque locos, quos quamquam non e Palatinis emanasse intellegemus, tamen, quod Ambrosianus deest, ex hoc fonte venisse certe demonstrare non possumus, nostro iure concludere posse nos opinor, nullum alium codicem atque A Nonio in manibus fuisse; sunt autem hi loci plurimi. Sin autem locus aliquis a Nonio citatus, in A non servatus, cum Palitinis consentiet, non erit concludendum, hunc e Palatinis demptum esse; nam et in A ita exstitisse posse nemo non intellegit; et hi loci sunt permulti. Fortasse autem illos quoque locos, qui quamquam in traditis Plauti comoediis ad nos non pervenerunt, tamen a Nonio servati sunt, non e Pall., sed ex A fluxisse poterimus concludere, quod in Pall versus intercidisse nusquam videmus, ut ex Amph. pp. 224, 441, 456 e Cas. p. 7[2]). Neque vero in his locis certe affirmare quicquam poterimus. Illa quoque re difficilior fit tota quaestio, quod multi loci a Nonio allati tam sunt breves et tenues, ut nihil videri possit, quod cum in aliis fabulis est tum in Cas, Cist, Rud.

---

1) Epidic. p. 33 ad v. 223.

2) id de Bacch., cuius fabulae initium et in Pall. amissum est, dictum non esse consentaneum.

Postquam haec exposuimus, tandem ad propositum ipsum venimus; sed antea iterum est monendum, id quod iam supra diximus, duobus commentariis fabularum Plautinarum Nonium usum esse. Cum igitur fieri potuerit, ut alter eorum e recensione codicis A, alter e recensione Palatina fluxerit, nemo negabit hos commentarios separatim accuratius esse perquirendos. Qui loci Plautini utrique commentario sint tribuendi, Schmidtius demonstravit[1]). De uno ordine lemmatum dubitat, p. 453, 23—455, 24[2]). Sed mihi quidem haec quoque exempla e minore illo commentario, in quo erat Amph., Asin., Aulul, repetita videntur. Nam praeter ultimum lemma exemplo e Men. sumpto illustratum omnia exempla ex his tribns fabulis sunt; et hoc lemma aut, ut ipse Schmidtius concedit, „casu quodam ordini huic assertum esse" potest, aut, quod mihi verisimilius est, sequenti ordini attribuendum est, qui e maiore commentario exscriptus est. Quare de his decem exemplis agam, si de minore commentario perquiram. Primum igitur tractandus est

I. Commentarius prior sive maior.

In hoc commentario infuisse dicit Schmidtius omnes fabulas Varronionas[3]) quas vocant, et illas, quae nusquam loco primario afferuntur, Mostellariam, Mercatorem, Vidulariam. Sed has tres equidem afuisse puto, quod quin Nonius, si affuissent, ex his quoque locos allaturus fuerit non dubito; nam quare in tanto libro has comoedias omnino neglexerit, quis est, qui intellegat? Infuisse in illis locos, quibus uti potuit, inde apparet, quod exempla subseciva

1) l. c. p. 18—24.
2) cfr. l. c. p. 37.
3) l. c. p. 37.

inde cepit; quamobrem his fabulis non aliter eum usum esse opinor ac ceteris fabulis, quarum locos nisi subsecivos non habet, ut Acaristionis, Abroici, Astrabae, Corniculae, Chryses, Corni, Colacis, Etdoli, Frivolariae, Ilionae, Medici, Nervi, Plocini, Scamatici, id est ita, ut hos locos e notis aliorum commentariorum sumpserit. Sed de hac re satis mihi multa verba fecisse videor.

Ut potius medias in res veniam, quin is, qui hunc commentarium fecit, Ambrosiano libro (A) usus fuerit, dubium mihi non videtur.

Tamen sunt loci, quibus id, quod modo dixi, refutari potest videri. Sunt autem hi:

p. 210 Pers. IV. 3. 23, ubi Nonius scribit: „Nunc ea narrabo, unde tu pergrandem[1]) lucrum facias.“ et ita scripsisse et scribere voluisse eum ea re confirmatur, quod in ipo lemmate dat: Lucrum secundum consuetudinem neutri est generis; masculini: Plaut. Pers. e. q. s. Consilio ac ratione falsum quicquam eum protulisse nemo credet. Plautinorum codicum et A. et Pall tradunt: pergrande, quare neque illo neque his usus esse videri potest. Sed illis temporibus, quibus commentarii ad Plautum a Nonio exscripti orti sunt, non tam cod A aut Pall, quam recensionis utriusque fundamenta exstitisse iam supra dictum est. Potest igitur in illo exemplari recensionis A, e quo hausit Nonius, fuisse „pergrandem“, per aliquem calami lapsum ortum, quod postea in A ipso ab illo, qui scripsit, mutatum est. Nonius autem tam stultus erat, ut hoc „pergrandem“ lapsum calami esse non intellexerit. Ex hoc igitur loco quamquam neque A neque Pall. fontem fuisse concludi potest, tamen demonstrasse me puto, et illud non consequi Nonium A codice usum non esse.

Alter locus, quo niti posse videntur ii, qui false su-

---

1) pergrandem miro testimonio Nonius profert, ait Ritchelius.

pra me contendisse Ambrosiano libro usum esse Nonium dicant, est hic:

p. 457 Truc. II. 2. 13 codd. Plautini sic exhibent:

BCD: iam hercle ego hic te, mulier, quasi sus catulos, pedibus proteram

A: . . . . QUASISUSCATULOSMULJER . . .

Nonii codd. omnes hunc locum ut Pall tradunt, quare iure quodam dixerit quis, tanto in consensu non dubitandum esse, quin aliqua relatio inter Nonium et Pall constet; et me quoque hoc in loco dubitasse fateor. Sed tanta copia locorum, unde inter Nonium et Pall multum interesse elucet, de quibus infra agemus, commotus hunc consensum casu quodam allatum esse censeo. Saepissime a Nonio verba inter se permutata esse et iam supra diximus et exemplis infra proferendis luce clarius demonstratum iri puto. Quare hic quoque aut Nonium aut postea scriptorem ipsius codicis A per errorem verba inter se commutasse credam. —

Haec duo sunt sola exempla, quae repugnant illi sententiae, quam supra pronuntiavi, A esse fontem exemplorum Plautinorum a Nonio e commentario illo maiore sumptorum, quorum alterum quam infirmum sit demonstrasse me, alterum si non repudiasse, attamen explicasse censeo[1]).

Venio nunc ad eos locos, quibus demonstratur, Pal. recensione non usum esse Nonium. Ac primum quidem de iis dicam, qui aut perdito aut inextricabili A Pall. solis exhibentur. Sunt autem hi:

p. 3. Asin. I. 3. 20 Nonius scripsit sub lemm. hostimentum: „Par pari hostimentum datum est, opera pro pecunia“. Hanc scripturam illis temporibus vulgatam fuisse, inde apparet, quod Nonius alio loco p. 528,27 idem exemplum eodem verborum ordine citat, ubi ne primarium quidem

1) de lemm „egurgitem“ p. 102 Epid. IV 2. 12 cfr. quae supra diximus p. 6, ubi prorsus, quod cum Pall. consentit, per errorem scriptoris ortum esse posse demonstravimus.

exemplum, sed subsecivum est; in Pall. autem iuvenimus: „datum hostimentumst", quod, ut versus docet, a Plauto solum scriptum esse potest; sed quae lectio sit praeferenda, hic non est perquirendum; satis est demonstrasse Nonium hoc loco ex alio fonte ac Pall. hausisse. Idem docemur:

p. 5. Aulul. III. 2. 8 Apud Nonium sub lemm. cinaedus invenmus: „ita fustibus submollior magis, quam ullus cinaedus", ubi submollior e sum mollior levi scriptorum errore ortum putabimus. Editiones Plautinae habent, hanc 'Nonii lectionem secutae. At in Pall. traditum est: fustibus sum mollior, miser magis, quam . . . ., quae lectio quamquam et ipsa est facilis intellectu, tamen propter versum reicienda est. Sed Nonium hanc ob rem quod invenit non mutaturum fuisse supra vidimus in loco, de quo modo egimus; sed ut antea falsum, ita hic rectum, quod forte in commentario suo inveniebat, recepit. Credo igitur in commentario illo, quem exscriprit, verbum illud „miser" afuisse, quod in Pall. non abest; ergo his non usus est.

p. 7. Capt. III. 5. 3 sub lemm.: „sartor" Nonius habet: „Sartor satorque scelerum et messor maxume. Non occatorem prius andebas dicere? Nam semper occant prius quam sariunt rustici". In Pall. traditum est: Sator sartorque . . . dicere audebas prius . . . . sarriunt. Hic Nonium Pall. exscripsisse quis est qui dicere audeat?

p. 9. Mil gl. V. 1. 14 Nonius omnium codd. consensu sub lemm. dispennite scripsit: Ubi lubet, dispennite hominem diversum et distendite, quo in versu verbum dispennite lemmate ipso confirmatur. Neque vero Pall. hoc habent, sed B. dispendite . . . dispendite, CD. distendite . . . dispendite, qua ex re Pall. non fuisse fontem clare videmus. Clarius illud elucet

p. 12. Truc. II. 7. 15 sub lemm. suppilo, ubi Nonius recte et bene scripsit: Haec cum video fieri, suffuror, suppilo, de praeda praedam Capio. Sed in BCD hoc est:

Haec cum video si fieri, susfuror, supplicio, depda (BD; C. depredam) capio. Hoc nihil esse facile quisque intelleget; et cum aliis omnibus verbis tum illo suppilo Noniano, quod est ipsum lemma, pro supplicio Plautino, luce clarius apparere mihi videtur, et in Nonii commentario Plautino hoc ipsum suppilo infuisse; quare illius commentarii scriptor alia recensione fabularum Plautinarum ac Pall usus esse mihi videtur.

p. 72. Capt. IV. 2. 52 Nonius sub lemm. assulatim scripsit: Priusquam pulsando assulatim foribus exitium dabo. Pall tradunt: pultando [vel B] assulatim. Scriptura cod B propter versum ut falsa cognoscitur. Videtur igitur Nonius alio codice usus esse; sed de hoc loco tanta fiducia non iudicem, quanta de prioribus omnibus.

p. 83. Bachc. IV. 4. 91 sub lemm. comedim Nonius: „quod dem scortis quodque in lustris comedim congreger, pater.“ Sic omnes codd. exhibent. Pall. comedim et congregem, quod intellegi omnino non potest; coniecit hic cum magna verisimilitudinis specie Camerarius: congraecem, quod omnes Plauti editiones acceperunt. Illud congraecem melius esse quam congreger quamquam nemo negabit, tamen utrum rectum sit necne non potest dici. Quid in A fuerit, nescimus; sed Pall hic fontem non esse puto. Maxima autem audacia hoc contendam in loco, qui sequitur, e Pall non fluxisse exemplum Plautinum:

p. 95. Aulul. II. 9. 1 sub lemm. desquama. Est enim traditum apud Nonium: Dromo, desquama piscis, ut Machaerio, Congrum, muraenam exdorsua, quantum potes. BD habent: desquam aspicis, quod nihil est; sed in fine tradunt: exossata fac sient. Et id quoque scribi potuit; sed hic quam clarissime ostenditur rectum esse, quod supra diximus. — Eadem fiducia iudicem de

p. 95. Capt. III. 4. 108 sub lemm. deartuatus; habet enim Nonius scriptum: tum igitur ego deunciatus [denu-

ciatus in P. est idem], deartuatus sum miser[1]) Idem exhibent libri Pall praeter verbum deunciatus, pro quo habent: aerumnatus, quod non esse Latinum Ussingius recte dicit[2]). Turnebus „deruncinatus“ reposuit ex Mil. gl. 1135, quod cum coniectura Bentini ad hunc locum Nonii facta consentit[3]). Sed utut id est, traditum est in Pall: aerumnatus, apud Nonium deunciatus, unde apparet aliunde venisse hoc exemplum Nonianum atque ex Pall.

p. 102. Epid. II. 2. 4 sub lemm. exorbebo Nonius: iam ego me convortam in irudines, Atque horum exorbebo sanguinem. Omnes edd. Plautinae dant: hirudinem . . . . eorum . . . . exsugebo, ut tradunt Pall. Et iam illis temporibus hanc quoque recensionis Pal. lectionem notam fuisse inde videmus, quod postea p. 479,20 sub lemm. exugebo Nonius hoc ipsum exemplum verbum exugebo continens profert. Erat igitur tum utraque lectio vulgata. Sed illo in loco hoc exemplum est subsecivum, hic primarium. Illo loco igitur ex alio commentario effluxit, qui ut ad Pall redierit fieri potuit. Hic autem, praesertim cum sub lemm. „exorbebo“ proferatur, qua re hoc verbum potissimum ut rectum confirmatur, alios libros fuisse fontes quam clarissime apparet, ut de hoc loco plura loqui sit supervacaneum. Accedit iam alius versus, quo idem demonstratur; versum autem, quem dico, affert Nonius

p. 103. Mil. IV. 4. 44 sub lemm. expapillabo, quod apud Nonium tale est: Expapillato brachio, quasi usque ad papillam renudato. Plautus Milite glorioso: Id conexum in numero laevo expapillato bracchio; in numero est lapsus calami pro in humero. Pall excipiunt: exfafillat obbracchio

---

1) Sic est legendum hoc loco; nam coniectura Bentini: deruncinatus, quamquam est specionissima, nulla re nititur.

2) in ed Pl. com. Hauniae 1878 comma ad Capt. 499.

3) Hos versus Brixius post III. 4. 112 ponit, Ussingius omnino ut vere barbaros eiici voluit; quo iure, hic non est perquirendum.

B, exfafillat obracchio C, exfafillato brachio D. Id igitur Nonius in fonte suo scriptum habuit, ut lemmatis ipsius verba: usque ad papillam renudato demonstrant, praesertim cum apud Festum et Paulum[1]) sub eadem hac glossa hunc Mil. versum allatum inveniamus. Utra scriptura pro textu Plautino edendo sit magis commendanda, dubitari potest, cum Ritschelius et qui eum plerumque sequitur Fleckeisenus retinuerint, Leidolpus[2]), C. F. W. Müllero[3]) et Büchelero[4]) nisus, exfafillato commendaverit. Sed de hac re hoc loco non est dicendum; quod autem huc attinet, p. 206 Leidolphus hoc eodem argumento, quod supra exposuimus, usus, A fuisse fontem Festi demonstravit; illum secutus et equidem nostro in loco idem pronuntio, non e Pall. venisse, quod Nonius profert. Pari certitudine idem contendi potest de hoc loco:

p. 171. Aulul. III. 4. 8 sub lemm. scalpurrire, ubi Nonius habet: ubi erat haec defossa, obcepit ibi scalpurrire unguibus, quem versum sequentes omnes Pall. Plautinae editiones dant: Ubi erat haec defossa, occepit ibi scalpurrire ungulis; praeterea in Pall. invenimus scalpturire; cum hoc tum unguibus pro ungulis positum ostendit Pall. non usum esse Nonium.

p. 210. Aul. IV. 10. 18. scribit Nonius: lux feminini est generis. Vergilius . . . . Masculini Plautus Aulularia: Luci claro dissipiamus aurum matronis palam, qua re in commentario Plautino hunc locum ita exhibitum fuisse luce clarius demonstratur. Pall.: Luce clara deripiamus, „non bene“, ut ait Quicheratius. Protulisse hunc locum satis est, supervacaneum de eo loqui; nam nemo est, quin intellegat, quid inde sequatur. Idem dicendum erit de

1) p. 79 et p. 83.
2) l. c. p. 213.
3) Plauti Pros. p. 264.
4) Interp. tab. Iguv. pp. 26. 27.

p. 218. Curc. I. 1. 13 ubi Nonius sub lemm. praesepim scribit: Praesepia neutri sunt generis. Vergil. . . . Feminini Plautus in Curc.: Quin reciperet se huc cessum ad praesepim suam, pro quo coniecit Passeratius: cessim, quod Mercerius et Quicheratius receperunt. Plauti edd: huc esum vel essum . . . ad praesepe suum. Illud huc cessum pro huc esum lapsus calami geminata littera c a scriptore esse potest; sed cum praesepim suam pro praesepe suum Pall. recensionem non exscriptam esse a Nonio doceat, factum esse potest, ut hoc quoque cessim in illo fonte, e quo hausit, fuerit.

p. 456 Mil. III. 1. 38 sub lemm. indoles Nonius habet: Si albet capillus, hic videtur neutiquam ab ingenio senes; Inest in hoc emussitata sua sibi ingenua indoles; quod hoc loco traditur emussiaetas non est nisi error scriptoris, quod inde apparet, quod alio loco p. 9 Nonius recte emussitata affert, ubi ille versus item est exemplum primarium id est ex eodem commentario demptum. Plautinarum edd. pars habet: Si albicapillus, pars: Si albus capillus, quarum lectionum altera in C altera in B D tradita est. Quas lectiones si quis recipit, ante verbum senex est inducendum: est, quod induxerunt omnes; est enim legendum: Si albicapillus hic videtur, nentiquam ab ingenio est senes. Utramque lectionem, et hanc in editionibus Plautinis vulgatam, et illam Nonianam esse probabilem nemo negabit. Sed ex eadem hac re, quod utraque lectio est bona, sequi mihi videtur, ut Nonianum quoque illud iam ante Nonium exstitisse et a Nonio in commentario, quo usus est, inventum esse.

p. 468 Men. V 1. 7 sub lemm. meret omnibus codicibus consentientibus Nonius scripsit: Adibo atque hominem accipiam dictis quibus meret. In Pall autem traditum est: quibus dictis, quod Plautum scripsisse propter versum[1])

---

1 cfr. Ritschelii ed Trin. Bonn 1848 praef. p. CCX.

certum est; accedit, quod in C D traditum est: aeret, in B heret, quod errore ortum esse quin Nonius non intellexerit non dubito.

p. 483 Asin. I. 2. 19 Nonius scripsit: Mansuetem pro mensuetum, ut sit nominativus mansues. Plautus Asinaria: Reddam ego te ex fera mausuetem. Ita hunc versum Plautinae quoque editiones omnes exhibent, quamquam Pall, qui soli súpersunt, omnes mansuetam habent. Sed lemmate ipso ostenditur, hoc Nonium non legisse. Denique

p. 484 Capt. IV. 2. 75 sub lemm victi apud Nonium invenimus: pro victi cotidiani ventrem ad me afferat, in Pall. Proin tu tui [sive: tui tu] cottidiani victi e. q. s. Quamquam hic aut Nonius[1]) aut scriptores ratione ac consilio decurtasse possunt, tamen verba inter se mutata victi cotidiani pro cotidiani victi ostendere videntur, a Nonio iam sic scriptum esse, quod in fonte suo invenit, qui non erant Pall.

Hi sunt loci, quibus certe demonstratur, e. Pall. recensione non fluxisse ea exempla primaria, quibus Nonius lemmata illustravit. Sunt autem alii, quibus, quamquam tanta certitudine illud non ostenditur, tamen accedentibus, quae supra diximus et iam demonstrasse nos credo, magis magisque confirmantur. Ut ne haec quidem omittamus, sicut antea fecimus, breviter haec lemmata quoque continenter enarrabimus; et sunt illa lemmata haec:

p. 9 Pers. I. 3. 24 sub lemm. focula scribit Nonius: At edes; nam iam intus ventris fumant focula. Sic et omnes edd. Plautini habent, B C D edis, quod si solum esset, nullius esset momenti.

p. 73 Trin. IV. 2. 32 sub lemm. albitudinem Nonius: ubi habitet, item alterum ad ipsam capitis albitudinem. Plauti editiones secutae Palatinos: ubi habitet et item alterum ad istanc capitis albitudinem. Pall. non fuisse fontem puto.

1) cfr. supra p. 8.

p. 84. Trin. III. 2. 67 sub lemm. collutulet Nonius habet omnium codicum consensu: haec famigeratio Te honestet, me collutulet, si sine dote duxeris. Omnes edd. Plautinae habent omnes codd. secutae: „me autem“; tum autem Ritschelius, Fleckeisenus, Geppertus conlutitet e coniectura Ritschelii, Lindemannus conlutet[1]); collutulet, quod in Pall.[2]) et apud Nonium est traditum, nisi a Göllio et A. Maio non est servatum; sequitur in omnibus Pall. et si, quod apud Nonium deest. Quare quamquam verbum collutulet in utrisque est, tamen quod verba autem et et desunt, alium librum fuisse Nonii fontem credo, in quo et illud collutulet traditum fuisse potest.

p. 102 Cist. II. 2. 6 sub lemm. exsculpere dicit Nonius: exsculpere est extorquere. Plautus Cistellaria: In quaestione vix exculpsi ut diceret: utraque forma verbi exculpere hic ita ab omnibus codd. est tradita, ut dubitare non possimus, num Nonius id scripserit. In Pall. autem pro hoc verbo invenimus: exclusi, exculsi, excussi. Sed ne quis nimia certitudine hic iudicet! Certius iudicem de

p. 109 Asin. II. 2. 54 sub lemm. firmitudinem; Nonius scribit: Si istam firmitudinem animi optines, salvi sumus, quod est et recte traditum et solum intellegi potest, cum, quod Pall. dant: firmidinem vel formidinem omnino sit intolerabile.

p. 120 Curc. IV. 1. 2[3]) sub lemm. halofantam Nonius scribit: Halofantam aut sycofantam magis esse dicam. In Pall. traditum est: Kalophantem an sycophantam hunc

---

1) lutulare, inquit, non est verbum Latinum. cfr. ed Trin. p. 22 ad v. 17 et p. 47 ad v. 67.

2) habent hi: collutulent sive: clutcilent, quod est idem.

3) hoc in loco ad emendandum textum coniecturam proferre mihi liceat. Scribit Ussingius Pall. secutus: Halofantam an sycofantam magis esse dicam nescio, quod mihi quidem falsum videtur; nam quamvis magnas licentias habeat primus pes octonarii, tamen pyrrhichium concedere eum non credo; nullum versum cum hac licentia in

magis hoc ee dicam, quod a Nonio tam est alienum, ut nihil fere inter utrumque sit commune.

p. 143 Capt. III. 5. 59 sub lemm. nuperum scribit Nonius: Quid? tu una nocte postulavisti et die, Recens captum hominem, nuperum, novicium? In Pall. legitur „et novicium“, quod quamquam potest neglegentia Nonii aut scriptorum omissum esse, tamen in commentario, quo usus est Nonius, defuisse potest.

p. 146 Asin. II. 1. 18 sub lemm. obscaevavit Nonius: [M]etuo, cum illic obscaevavit meae falsae fallaciae. Quamquam H. tradit „et vocum“, tamen, cum M. sit emissum, Nonium ita scripsisse cum Gerlachio credo. In Pall. autem traditum est „quod“ pro cum et „observavit“ pro obscaevavit, quod hic nihil est. Idem est dicendum de

p. 155 Rud. III. 2. 4 sub lemm. polentia, ubi Nonium scripsisse omnium codicum consensu apparet: Ne ineptorum potior sit polentia, cum Pall. exhibeant: impiorum .... pollentia.

p. 155 Truc. V. 1. 21 sub lemm. pauxillisper Nonius habet: plus decem pondo amoris pauxillisper perdidit; Pall. plus decem pondo moris pausilliper perdidit, quo in versu moris non potest intellegi, et pausilliper propter metrum esse non potest, praeterea aliquid deesse omnes edd. Plauti cognoverunt, quorum alteri iam pol ante pondo introduxerunt.

omnibus Plauti comoediis inveni. Neque id, quod Fleckeisenus e sua coniectura habet, melius mihi videtur, scribit enim: Halophantamne an sucophantam hunc magis dicam esse nescio. Addito ne primum pedem sanari quamquam nemo negabit, tamen ne non est traditum, praeterea verba dicam et esse sunt inter se mutanda et „hunc“ e Pall. recipiendum. Simpliciorem esse meam coniecturam puto, si commutatis inter se halophantam et sycophantam scribimus: Sycophantam an halophantam magis esse dicam nescio. Hunc versum contra legem pugnare haud ignoro, quam Ussingius prol. p. 184 pronuntiat; in quarto pede nunquam dactylum esse posse, quod vitium Fleckeisenus vitat, Ussingius autem retinet; sed ipse l. c. exempla affert: Trin. 604 Lysi | teli, Ter. Form. Palli | o resu | pinet.

p. 164. Aul. II. 5. 10 sub lemm ravim Nonium, quamquam codd. paullum inter se dissentiunt, scripsisse constat: ubi, siquid poscam, usque ad ravim poscam prius; quod confirmatur eodem exemplo p. 374. 10 allato. In Pall autem invenimus: adaravin, quod non est intelligendum, et: poscamus prius, contra quod versus pugnat; quare Pall non esse fontes censeo.

p. 172. Aul. IV. 4. 32 sub lemm: socienno Nonius: ibo intro atque illi socienno tuo iam interstringam galam. Pall: ibo hinc.[1])

p. 455. Men. I. 1. 13 sub lemm: rostrum omnes Nonii codd. habent: Aput mensam plenam hominis rostrum deligis; Plauti codd. omnes: homini . . . deliges, e qua utrorumque codd. differentia concludere nos posse credo Nonium e Pall non hausisse.

p. 457. Truc. II. 6. 16 sub lemm: compressa Nonius scripsit: Nunc ad amicam, decimo anno, Athenas Atticas[2]) Viso, quam gravidam hic reliqui meo compressu, quod ea agat. Pall dant: decimo anno post, gravidam reliqui, quid pro quod. Hic mihi videtur luce clarius recte nos contendisse non Pall esse fontem Nonii.

p. 483. Aul. I. 2. 5 sub lemm quaesti Nonius scripsit: Nam hic apud vos nihil quaesti furibus.[3]) Plauti codd. et edd. habent: est aliud quaesti, quod versu postulatur. Sed potest hic illud aliud negligentia Nonii ommissum esse.[4])

p. 510. Poen. I. 2. 26. Omnes Plauti codd. tradunt: Nam cum sedulo munditer nos habemus, Ut vix aegreque amatorculos invenimus, quo in loco Nonius sub lemm. mun-

---

1) Sed de hoc loco cfr. supra p. 5.

2) Attiseas, quod dant codd. omnes, ad errorem scriptoris archetypi redit, qua re iterum omnes codd. ad unum archetypum redire demonstratur.

3) furius codicum est error archetypi, quem reliqui receperunt.

4) cf. p. 5 et 6.

diter verba vix . . . que omittit, quod et negligentia Nonii factum esse potest et iam in commentario defuisse potest. Fortasse huc pertinet et locus Rudentis a Nonio p. 533 sub lemm: horiae citatus, de quo iam supra p. 5 et 7 diximus, et Curculionis V. 3. 12 a Nonio sub lemm. catapultae prolatus, de quo p. 5 locuti sumus.

Hi igitur sunt omnes loci Plautini apud Nonium, qui nostris temporibus nisi in Pall non servati docent ex huius recensionis libris non sumpsisse suos versus illum commatatorem Plauti, quo Nonius in conscribendo suo libro usus est. Ex A, id est ex illo archetypo, e quo liber Ambrosianus emanavit, hausisse eum si dicemus, non errabimus. Demonstratur illud ea re, quod multa exempla inde eum sumpsisse ostendere possumus. Si autem illa inde fluxerint, quin hi quoque loci, de quibus certe hoc denonstrari non potest, quod in A non sunt servati, ex eodem A venerint, quis est, qui dubitet? Sunt autem loci, de quibus nemo dubitabit, hi:

p. 12. Trin. II. 1. 21 sub lemm.: vestispici Nonius scribit: Nox datur, ducitur familia tota: Vestispici, unctor, auri custos, codd. Plautinorum A, de quo Studemundus dicit:[1]) haec folia „sind wegen vieler Löcher und erblasster Schrift schwer zu entziffern“, habet hoc loco clare scriptum: vertispice, Pall pars vertisplice, pars vertiplice. Hanc lectionem Nonio non affuisse facile intellegitur; quare autem vestispica in vestispici mutaverit, iam supra exposuimus. Hoc in loco Plautino singularem esse retinendum e ceteris verbis: unctor, auri custos elucet et ab omnibus Plauti edd. cognitum est, e quibus unus Lindemannus lectionem cod A et Nonii servavit, cum ceteri Pall magis minusve sequantur. Etiam maiore certitudine idem dici posse mihi videtur de

1) in: Der Plautinische Trin. im cod. Ambr. Rhein. Mus. XXI. Jahrg. 1866 p. 574—621.

p. 84. Pseud. II. 3. 8, ubi Nonius sub lemm copi consensu omnium codicum scripsit: atque ego nunc me ut gloriosum faciam et copi pectore. Plautinorum codicum solus A servavit MEUT et ETCOPJ; Pall dant: „me" sine ut et: ut copi, quae utraque lectio coniuncta bonum habet sensum neque contra versum pugnat. Quare sine ulla dubitatione ex A hausisse Nonius mihi videtur.

p. 477. Truc I. 2. 36, cuius comoediae unus hic quaternio codicis A superest, sub lemm expedibo Nonius affert: ego expedibo: rem perdidi apud vos, quod in A est: apud vosvos, quod ut est per errorem scriptoris ortum ita a Nonio omissum est. Cum autem haec verba: apud vos in Pall desint, quin Nonius A usus sit, nemo dubitabit. Haec autem tria exempla, quae modo protuli, claritate longe superantur exemplis, quae Nonius ex Epidico II. 2. 46—49 p. 539 sqq. affert, quae primum breviter hic enumerabo, sunt enim haec:

p. 539 sub lemm. ralla: tunicam rallam, tunicam spissam (II. 2. 46).
p. 539 „ „ rica: Ricam, vasilicam aut exoticam (II. 2. 48).
p. 539 „ „ caesicium: linteolum caesicium (II. 2. 46).
p. 541 „ „ indusiatam: indusiatam patagiatam, catulam aut propatulam (II. 2. 47).
p. 541 „ „ patagiata: indusiata, patagiata (II. 2. 47).
p. 541 „ „ supparum: Supparum aut subnimium et ricam, basilicum aut exoticum (II. 2. 48).
p. 541 „ „ exoticum: basilicum aut exoticum (II. 2. 49).
p. 542 „ „ cumatile: cumatile aut plumatile (II. 2. 49).
p. 548 „ „ crocotulam: illusiatam, patagiatam, caltulam aut crocatulam (II. 2. 27).
p. 549 „ „ cerinum: plumatile aut cumatile, cerinum aut gelinum (II. 2. 49).

Si ex his versibus, quales a Nonio traditi sunt, omnibus Plauti codicibus et editionibus neglectis ex exemplis

ipsis ea potissimum verba recipientes, quae in lemmate ipso sunt, sub quo exempla traduntur, textum restituere conabimur, quem Nonius inspexit, haec fere constituere poterimus.

Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum caesicium, 46.
Indusiatam, patagiatam, caltulam, aut crocatulam, 47.
Supparum aut subnimium est ricam, vasilicum aut exoticum, 48.
Cumatile aut plumatile, cerinun aut gelinum, 49.

Eam ob causam putavi Nonii scripturam ex eo lemmate esse redimendam, sub quo exemplum citatur, quod in tanta ignotorum verborum copia et Nonium et scriptores saepissime errare potuerunt et erraverunt praeter ea verba, de quibus in lemmate ipso agebatur. Cum his quae supra statuimus, si ea comparabimus, quae hoc loco Goetzius in editione sua Epidici reconstituit, in duobus prioribus versibus nullam differentiam esse inveniemus, duos alteros autem sic reconstruxit:

Supparum aut subminiam, ricam, basilicum aut exo-[ticum, 48
Cumatile aut plumatile, carinum aut gerrinum. 49

Sunt haec parvae differentiae. Quaerentibus, quid singuli Plauti codd tradant, hoc est respondendum: CROCOTULAM solum A tradere ut Nonium, cum Pall. habeant: crutulam aut croculam, item a solo A: SUPPARUM, Pall. sub parum, A: SUBNIMIUM, Pall: subminium, quod quamquam solum est rectum, tamen apud Nonium non legitur. Num alio quoquam exemplo clarius demonstrari potest, Nonium in scribendo suo libro non Pall., sed Ambrosiana recensione usum esse? Quid? nonne exemplo quoque sequenti idem ostenditur? Est autem hoc:

p. 548 Epid. II. 2. 40, ubi sub lemm. impluviata Nonius scripsit: Impluviata? ut istae faciunt vestimentis nomina. Hoc idem A quoque exhibet, Pall: Impluviatum?

ut istaec facimus e. q. s. Tantis in differentiis cui in mentem veniat unum idemque esse utrumque dicere?

Ad haec exempla, quae tam graviter verum esse quod supra diximus persuadent, ut nemo fere dubitare possit, accedunt alia, quae quamquam non sunt tanta gravitate quanta priores, tamen idem docere possunt. Dico haec:

p. 8 Epid. V. I. 3, ubi sub lemm. caperrat Nonius affert: Quid illud est, quod illi caperrat frons severitudine, quae scriptura eodem versu p. 173, 17 citato firmatur. Götzius in editione Palatinos secutus dat: illuc, caperat, quod propter versum solum rectum est. Quid in A fuerit, certe dici non potest, cum hodie hoc tantum exstet:

QUIDILL ..... VERITUDINE. Quamquam igitur A esse exscriptum hic certe dici non potest, tamen Pall. excerpti esse mihi non videntur.

p. 11. Pers. III. 3. 16 sub lemm. lurco omnes Nonii codd. tradunt: Perennis herbae lurco, edax, furax, fugax. Scripsit autem, ut edd Plautinae demonstrant: Perenniserve[1]). Ex hac re igitur nihil concludi potest, sed quod in A quoque legimus: lurco, edax, furax, fugax, cum in Pall. sit: lur chedax, furax, fugax, ostenditur A exscriptum esse a Nonio.

p. 123 Trin. II. 4. 134[2]) sub lemm. incitas consentiunt codd. Noniani: Alii exsolati abierunt, alii emortui. Hem! nunc hic, cuius tuta incitas redactus est, quod non est intellegendum et e prava traditione sequitur. Mutandum est, ut Gerlachius Rothiusque voluerunt: nunc hic, cuiust, ut sub incitas redactus est. In A invenimus: exolatum, in Pall. exulatum, qua re Nonii scriptura ad A spectare videtur, cum exulati pro exulatum a scriptore positum esse potest, ut consensus cum emortui adduceretur. Et in

1) Hoc loco iterum videmus omnes Nonii codd. quamquam ad nuum archetypum redeant, tamen esse permalos.

2) quem quaternionem Studemundus l. c. in A sehr gut lesbar dicit.

p. 199 Poen. IV. 2. 86 in lemm. calcem A usus esse Nonius videtur, cum proferat: Quin prius disperibit faxo, quam unum calcem civavit; hoc scripsisse Nonium e lemmate ipso elucet: calx est feminini generis, masculini Plaut. Poen. e. q. s. Hoc masculinum nisi in A non servatum est.

p. 423 Pseud. I. 3. 47 sub lemm. pudet et piget Nonius scripsit: Nimis id, quod pudet, facilius fertur quam id, quod piget. Non dedisse istum pudet; me, quia non accepi piget. Idem exhibet Plautinorum codicum solus A, BCD: non dedissetis tum. Hoc fortasse levius esse quam ut quicquam concludi possit, dixerit quispiam et iure suo. Sed num Nonius illud vidisset, equidem dubito. Et hoc exemplum leve accidens ad tot tantaque aliquam vim habere nemo negabit.

p. 456 Epid. IV. 1. 32 sub lemm. compotem Nonius scripsit: cedo manum. — Accipe aerumnarum et miseriarum compotem; in Pall. iuvenimus aerumnosam; utramque lectionem poni potuisse nemo negabit; et quid in A fuerit, plene intellegi iam non potest; iuvenimus ibi: AERUMN... Quamquam igitur Nonius propter miseriarum commotus esse potest, ut aerumnarum quoque scriberet, tamen et in A hoc iam fuisse nemo negare poterit.

p. 476 Cas. I. 1. 41 sub lemm. reddibo Nonius scripsit: ruri reddibo, quo e loco mihi quidem certe elucet, hic A fuisse fontem; habet enim hic codex: TERURIREDDIBO, cum Pall. praebeant: ruri reddibo te; ut supra autem demonstravimus, Nonius, si sententiam protulit, semper ad ultimum verbum totam eam citavit. Itaque persuasum mihi est, Nonium, si Pall. usus esset, ruri reddibo te scripturum fuisse.

p. 533 Stich. II. 2. 42 Nonius sub lemm. Cercuram scripsit: Cum percunctor portitores, ecquae navis venerit Ex Asia, negant venisse: conspicatus sum interim Cercuram, quo ego me maiorem non vidisse censeo. Apud Plautum

hoc in loco traditum est a Pall.: perconctor, a cod A: percontor, ut Nonius Pall. usus esse fere videri possit; sed cum paucis versibus post (II. 2. 46) in A percunctamur traditum sit, pro quo Pall. habent B: percontamur, CD perconctamur, fieri potuit, ut Nonius per errorem ex hoc posteriore versu verbum simile in priorem locum transscriberet.

His igitur omnibus locis, prioribus multo clarius quam posterioribus demonstrasse me puto, re vera Nonium in conscribendo suo libro recensione Ambrosiana, quoad tum erat confecta, usum esse. Quare quid de illis locis, quos e Pall. non fluxisse supra ostendimus, iudicandum sit, exponere longum esse puto. Si autem hoc credimus, alia quoque res facillime declaratur: inveniuntur enim in Nonii libro tales quoque loci, qui in Pall. non sunt traditi; cum autem nusquam in his quicquam sit, unde concludere possimus versus intercidisse — de Bacchidibus non dico — vix errabimus, si dicemus hos quoque ex iis A codicis partibus fluxisse, quibus perditis hodie valde dolemus. Hos autem locos Nonius profert:

p. 7 sub lemm. flocco locum e Casina citatum: perii, flocco habebit iam illic homo lumbos meos;

p. 72 sub lemm. altili versum e Cistell sumptum: Prohibet divitiis maximis, dote altili atque opima;

p. 120 sub lemm. hallec locum ex Aul captum: qui mihi olera cruda, hallec duint[1]). Hoc sequuntur tres loci ex Amph. sumpti:

p. 224 sub lemm. scrabes: ibi scrabes fodito sexagenos in dies.

p. 456 sub lemm. thesaurum: qui domi uxorem meam Inpudicitia inpedivit, teneo, thesaurum stupri.

p. 543 sub lemm. aula: optumo iure infringatur aula cineris in caput.

---

1) Apud Goetzium frgm. 5.

p. 543 sub lemm. matulam: ne tu postules matulam unam tibi aquam infundi in caput.

Sunt antem nonnulli quoque loci in Nonii opere, qui utrum ex Pall. an ex Ambrosiana recensione fluxerint, diiudicari non potest, quamvis utrique codices nobis sint servati; hi sunt illi loci, in quibus Pall. cum cod A ita consentiunt, ut nullam differentiam invenire possis. Inde non apparere hos locos e Pall. haustas esse a Nonio consentaneum est. Quin enim omnino utraque recensio ad unum archetypum spectet, nemo prudens dubitabit, quare multa inter eas communia esse res ipsa docet. In quibusdam autem parvae sunt differentiae, unde, si pluribus documentis egeremus, idem demonstrare possumus; sed satis erit tot tantaque pratulisse. Venio igitur iam ad eos locos, in quibus et in A et in Pall. servatis aut nulla fere aut minimae differentiae sunt. Hos breviter hic enumerabo:

p. 6 sub lemm. calvitur affert Nonius exemplum Cas. II, 2. 4: nam ubi domi sola sum, Sopor manus calvitur. Idem habent A et pars Pall., pars calpitur.

p. 10 Pers. II. 1. 2 sub lemm. barda traditum est a Nonio: Nimis tandem me quidem pro barda et pro rustica reor habitam esse abs te. Ritschelius hunc versum ita mutat, ut dicat: Nimis tandem me quidem pro barda et blenna, ut ipse dicit p. 25 ad v. 169 exempli causa, pro quo tamen aliud indegandum. Traditum autem est, ut iam diximus, et in A et in Pall.: et pro rustica. Mutando Ritschelius numeros anapaesticos servare vult; sed hi servantur ea quoque scriptura, quae tradita est, ut apud A. Maium.

p. 11 sub lemm. passo citat Nonius Stich. II. 2. 45, qui versus in utraque recensione est: in portum vento secundo, velo passo pervenit.

p. 146 sub lemm. opulentitatem Nonius affert Mil. gl.

IV. 4. 35 omnibus Plauti codicibus consentientibus: quasique eius opulentitatem reverearis. Idem dicendum est de

p. 173, ubi sub lemm. sorditudinem consensu omnium Plauti codicum Poen V. 2. 7 Nonius scribit: ut mihi absterserunt omnem sorditudinem.

p. 468 sub lemm. lucro Nonius e Pers. affert v. IV. 6. 7, ubi omnes Plauti codices tradunt: lucro faciendo ego auspicavi.

p. 468 sub lemm. deluctavit Nonius citat Trin. IV. 1. 20: cum hisce aerumnis deluctavit, cum Plauti codd. exhibeant: quibus cum aerumnis deluctavi.

p. 475 ex eodem Trin. profert Nonius sub lemm. promeres v. III. 2. 15: nam retineri nequeo quin dicam ea, quae promeres, quod et Pall. et A habent.

p. 484 sub lemm. sumpti Nonius scripsit Trin. II. 1. 20: quod ebibit, quod comest, Quod facit sumpti. Hoc in loco A habet: quod eb. bit, sumptui, e quo verbo concludi potest, A Nonii fontem hic non fuisse. Pall. dant sumpti, sed bibit, quare dicudicare vix audeo. Sed cum ut ait Studemundus l. c.: hoc folium „ist wegen vieler Löcher und erblasster Schrift schwer zu entziffern", tamen si iudicandum est, pro A iudicare malim. — Nihil antem videri potest in exemplo e Casina citato:

p. 484, ubi sub lemm. tumulti affert v. III. 5. 22: quid intus tumulti fuit? quod omnes codd. Plautini habent. — Brevius quam ut quicquam videri possit, est exemplum e Pseudulo allatum:

p. 511 sub lemm. saeviter: aha, tam saeviter! (I. 2. 122).

p. 539 sub lemm. regillam Nonius affert versum Epid. II. 2. 39: an regillam tuniculam indulam an mendiculam? Hoc exemplum falsum esse versus ipse docet, qui septem pedes acciperet. Ortum est illud vitium „intruso glossemate", ut ait Götzius p. 33 ad v. 223. Cum autem in utrisque codicibus Plauti recte sit traditum: an regillam

indulam an mendiculam, nihil videri potest, qua recensione usus sit Nonius.

Denique venio ad eos locos Plautinos apud Nonium servatos, qui, quia A aut est deletum aut cognosci non potest, in Pall. solis servati cum hac Palatina recensione ad litteram fere consentiunt. Inde autem concludere, in A a Nonio eos non esse lectos ant inde non fluxisse, tantum abest, ut rectum sit, ut falsius nihil esse possit. Eos autem locos omnes, ut superiores accuratius pertractare longum est, satis erit omnes deinceps ennumerare et in illis tantum, de quibus erit aliquid dicendum, paullo diutius morari.

Ac primum quidem de Bacchidum locis pauca dicenda erunt, quos, cum in Pall. quoque initium huius fabulae perditum sit, apud Plauto omnino non servatos Nonio soli debemus. E quibus locis quibusdam Charisianis et Servianis auxilio vocatis Ritschelius complures versus composuit. Servavit nobis Nonius hos Bacchidum versus:

p. 4 sub lemm. exercitus: quae sodalem atque me exercitos habet, quem versum apud Charisium p. 204 eundem invenimus.

p. 102 sub lemm. excantare: nam, credo, cuivis excantare cor potest, e quo cum Servii in Bucol VIII. 71 versu coniuncto restituit Ritschelius: Nam tu quidem credo excantare cuivis facile cor potes[1]).

p. 172 sub lemm. saevitudo: vincla, virgae, molae, saevitudo mala Fit peior. Hunc versum nisi hoc loco nusquam invenias.

p. 173 sub lemm. suavitudo: cor meum, spes mea, Mel meum, suavitudo, cibus, gaudium, qui versus et ipse hic tantum est.

p. 421 sub lemm. cupidon tecum saevit anne Amor?

---

1) cfr. ed. Bacch. p. 6 ad v. 34.

quem versum cum Servii in Aen. IV. 194 nota coniungens restituit Ritschelius: cupidon te confecit anne amor[1])?

p. 474 sub lemm. opino: Praenestinum opino esse: ita erat gloriosus, qui versus hic tantum invenitur.

Ceteros igitur locos, ut supra dixi, breviter enarrabo:

p. 4	sub lemmate	tolutim Asin. III. 3. 116.
p. 4	„ „	capuli Asin. V. 2. 42.
p. 5	„ „	temeti Aul. II. 6. 6.
p. 5	„ „	nautea Curc. I. 2. 5.
p. 7	„ „	friguttis Cas. II. 3. 49.
p. 8	„ „	tricas Curc. V. 2. 15,
p. 10	„ „	illex Pers. III. 3. 4.
p. 11	„ „	concenturio Pseud. I. 5. 159.
p. 11	„ „	finitor Poen. prob. 48[2])
p. 83	„ „	contente Asin. I. 1. 63.
p. 84	„ „	conquiniscam Cist. IV. 1. 5.
p. 109	„ „	fortunabunt Trin. II. 4. 175.
p. 123	„ „	icit Truc. II. 7. 42.
p. 136	„ „	macritudine Capt. I. 2. 32.
p. 164	„ „	rurent Capt. I. 1. 16.
p. 199	„ „	catello Curc. V. 3. 13[3]).
p. 199	„ „	corios Poen. I. 1. 11.
p. 210	„ „	labeas Stich. V. 4. 41.
p. 217	„ „	partitudo Aul. I. 1. 36.
p. 224	„ „	schema Amph. prol. 117.
p. 225	„ „	syngrafum Asin. IV. 1. 1.
p. 227	„ „	tonitrus Amph. V. 1. 10.

---

1) l. c. p. 5 ad v. 31.

2) Hic apud Nonium: ejus rei ego sum factus finitor traditum est, cum in Pall. „ei rei“ scriptum sit, quod receperunt edd. Plauti: Hunc versum spurium propter metrum Ussingius dicit.

3) hoc exemplum apud Nonium finitur verbis: Ferro ego dico, quod bonum est; in Pall. est: Ferreo; utrum concludendum sit ex hoc loco Pall. non exscriptos esse necne, non iudicem.

p. 422 sub lemmate alit Men. I. 1. 12.
p. 422 „ „ horridularum Pseud. I. 1. 66.
p. 422 „ „ perire et interirePoen. II. 1. 41.
p. 456 „ „ stupri Amph. III. 2. 2.
p. 467 „ „ vagas Mil. gl. II. 5. 14.

Hoc loco apud Nonium legimus: te adloquor vitii probrique plenus, Qui circum vicinos vagas; in Pall. hic versus est: plena, Quae . . . vaga es. Hoc Nonium non legisse inde mihi apparet, quod hoc exemplum sub verbo vagare profert, et quod, si vaga es legisset, non scripsisset plenus, qui. Quare iure fortasse dicat quispiam, ex A fluxisse hunc locum.

p. 468 sub lemmate meret Men. II. 3. 8.
p. 476 „ „ ludificata Mil. gl. III. 3. 53.

Hic locus apud Nonium ita traditus est: Ludificata ero hominem pro ludificata lepido ero culpam omnem in me imponit; imponit per errorem scriptoris pro imponito scriptum est. Hunc locum Nonianum correxit Lipsius Aul. lect. IV. 20. Ludificata ero pro [ludificavero. Plautus Milite: Ni] ludificata e. q. s. Hanc correcturam rectam esse quisque concedet, qui nunquam Nonium versum ita citasse sciet, ut unde sumptus sit non dicat. Etiam melius correxisse Mercerium puto, qui ut „hominem“ quoque apud Nonium traditum servet, scribit: Ludificata ero hominem pro [ludificavero e. q. s.] Ita scripsisse Nonium propterea puto, ut primo aspectu quisque videret, ludificandi verbo hic usum esse Plantum ut verbo transitivo, unde et apud Plautum „hominem“ fuisse concludere non possumus. In Pall. hic locus traditus est, ut apud Nonium a Lipsio correctus est; quare quod Ritschelius scribit: ni ludificata ero hominem || culpam omnem in med (quam formam introduci tum demum necesse est) imponito, non modo supervacaneum, sed etiam sine ullo iure factum mihi videtur.

p. 476 sub lemmate patitor Asin. II. 2. 108.

p. 476 sub lemmate capulantur: Aul. I. 2. 38.
p. 484 „ „ senati: Epid. II. 2. 4.
p. 510 „ „ amiciter: Pers. II. 3. 3.
p. 510 „ „ avariter: Curc. I. 2. 34.
p. 511 „ „ maestiter: Rud. I. 5. 6.
p. 532 „ „ celocem: Asin. II. 1. 10.
p. 543 „ „ mortarium: Aul. I. 2. 17.
p. 543 „ „ fidelium: Aul. IV. 2. 15.
p. 549 „ „ ferrugineum: Mil. gl. IV. 4. 43.

Haec omnia, quae diximus, si accuratius consideraverimus, non dubitabimus, quin commentarius ille prior sive maior, quo Nonius usus est, ex ea recensione, e qua postea cod A venit, hauserit. Nullo enim loco codice A non usum eum esse vidimus, plurimis A fontem esse nos credere necesse esse; multis, quamquam e Pall. hauriri potuerunt, nihil impedire, quominus et in illis locis A eum usum esse credamus. Quod igitur de priore commentario demonstravimus, nunc est demonstrandum de commentario altero. Eisdem enim fontibus derivavit

II. Commentarius alter sive minor,

in quo praeter Amph., Aulul., Asin. non inerant comoediae Plautinae. Huic commentario et illos locos, de quibus Schmidtius dubitat, nos attribuere supra iam dictum est. Et in hoc commentario perquirendo eodem modo utamur, quo in priore usi sumus. Primum autem dicendum est, tanta certitudine, quanta in priore, rectum esse quod diximus, demonstrari non posse, quod harum trium fabularum in A omnino non habemus reliquias. Quare id tantum ostendi poterit, locos apud Nonium iuveniri, qui a Pall. ita abhorreant, ut ex iis hos locos non fluxisse certe dicere possimus; neque hi loci sunt pauci; de quibus nunc agen-

dum est. Certe videmus locos Nonianos non fluxisse e Pall. recensione hos:

p. 44 Amph. II. 2. 78 sub lemm. percontarier scripsit Nonius omnibus codd. consentientibus: Qui istuc in mente[1]) est tibi ex me, mi vir, percontarier? In Pall. autem verba: „ex me" desunt, quae versu postulantur, unde apparet, ex Pall. hic non hausisse Nonium. Item verbum unum deest in Pall. in exemplo

p. 44 ex Amph. II. 2 107 sub lemm. prodigiali prolato; quod est apud Nonium: Sed, mulier, postquam experrecta es; te prodigiali Iovi Aut mola salsa hodie aut ture comprecatam oportuit; qua in sententia in Pall. deest pronomen te, quod a versu poscitur. Verba inter se mutata sunt in exemplo

p. 45 ex Asin. IV. 1. 44 sub lemm. votitam allato, ubi Nonius scribit: Nolo illam causam habere et votitum dicere, cum Pall. habeant: Nolo habere illam. Editores plurimi Acidalii coniecturam receperunt: illam habere causam, quae tres lectiones metro non repugnant.

p. 76 Asin. I. 3. 44 sub lemm. abusa Nonius scripsit: Ubi illa, quae dedi ante? — abusa: nimis ea durarent mihi, Mulier mitteretur ad te, nec te quicquam poscerem. Pall. hunc versum ita servarunt, ut scribant: illaec pro illa, numquam pro nec te, quod peius esse nemo negabit, nam si pro nimis.

p. 86 Aul. III. 6. 27 sub lemm. curio apud Nonium legimus: Volo scire ego ex te, quid sit agnus curio, quod receperunt omnes Plauti editores; est autem in Pall. traditum: Volo ego ex te scire.

p. 105 Aul. IV. 10. 54 sub lemm. exornati scribit Nonius: Repudium rebus paratis, exornatis nuptiis, quod

---

1) Pro in mente omnes editiones Plautinae praeter A. Maium dant: in mentem secutae analogiam Amph. 177, Bacch. 158; num iure, dubito.

solum rectum esse versus docet, cum, quod Pall. dant, tolerari omnino non possit: paratis atque exornatis, cui scripturae versus ipse repugnat. Ad maximam autem verisimilitudinem redigitur, quod supra diximus, Nonii commentarium Plautinum alienissimum esse a. Pall. e versu, quem citat Nonius

p. 128 ex Amph. I. 1. 54 sub. lemm. igitur. Scriptum enim invenimus in Plauti codicibus: Sin aliter sient animati neque dent quae petant, Sese igitur summa vi resque eorum oppugnatusse oppidum. Id scripsisse ipsum Nonium nemo credet, sed haec fere: Sin aliter sient animati neque dent, quae petat, Sese igitur summa vi virisque eorum oppagnatum ire oppidum; petant pro petat lapsu calami ortum est; oppugnatasse, quod omnino nihil est, pro oppagnatum ire facillime legi posse nemo negabit, quare illa Quicheratii coniectura ut recta recipienda erit. Pall autem habent: oppidum expugnassere sive expugnasse, quod formam expugnassere scriptor non intellexit. Verba haec inter se mutata, infinitivus perf. pro fut., verbum expugnandi pro oppugnandi, quae in Pall. male traduntur, luce clarius demonstrant, inter Nonii commentarium Plautinum et Palatinos nihil esse commune.

Pari fere certitudine idem est contendendum de versu p. 144 ex Aul. III. 5. 51 sub lemm. nugivendis allato. Totus hic locus apud Nonium est: „Nugivendos Plautus dici voluit omnes, qui aliquid mulieribus vendant“, quo ultimo verbo exemplum, ut a Nonio traditur, confirmatur: ubi nugivendis res soluta est omnibus, pro quo habent Pall. nugigerulis, quod quamquam per se esse potuit, tamen lemmate ipso repudiatur. Lemmate ipso tenetur et verbum rumiferant p. 166 in versu Amph. II. 2. 46, in quo traditum est apud Nonium: quamque ideo civis Thebani vero rumiferant probam, ubi habent Pall. adeo ... rumificant. Certissime autem contra Pall. pugnat exemplum

p. 187 ex Asin. V. 2. 92 sub lemm. volup pro voluptate citatum: Hic senex siquid clam uxorem suam animo fecit volup, cum Pall. praebeant: Hic senex siquid clam uxore suo animo fecit voluptatis, quod a versu quoque refutatur. Hoc loco melius demonstrare nullus potuit, quam recte dixerimus, alienissimum a Pall. esse Nonianum librum.

Alienus mihi videtur esse a Pall. ille quoque locus, quem profert Nonius p. 454 ex Asin. I. 1. 61 sub lemm. obsequi, quem scribit: ego sane cupio obsequi gnato meo [1]), cum in Pall. legamus: Et id ego percupio.

p. 509 Aul. III. 6. 28 sub lemm. macet Nonii codd. omnes tradunt: Qui ossa ac pellis tenus ita macet, ubi coniecit Bentinus: qui ossa ac pellis totus est, ita cura macet, secutus omnes Pall. Usus esse hic Nonius mihi videtur codice, qui habuit: Qui ossa ac pellis tenus ita [cura?] macet, quod aut quinque aut sex pedes habet; potest enim illud cura aut iam in fonte defuisse aut a Nonio omissum esse.

Haec exempla demonstrare mihi videntur, Nonium Pall. non usum fuisse; praeterea elucet, quae apud Nonium invenimus, semper fere meliora et rectiora esse quam quae Pall. praebent; sed hoc quamquam dicendum est de hoc minore commentario, de illo maiore esse negandum ex iis, quae contulimus, facile quisque intelleget. Sed hoc casu quodem factum puto; fortasse autem de huius minoris commentarii scripturis propter paucitatem locorum false iudicamus. Sed hoc audacius mihi non videtur contendere, cum prior ille commentarius ex A redundaverit, hunc quoqe minorem indidem fluxisse. Ad haec exempla, quae enumeravimus, accedunt alia, quae, quamquam tanta certitudine idem non demonstrant, tamen verisimilius quod demonstravimus reddere possunt. Sunt autem haec:

---

1) id ferri posse percipio recepto, ait Lambinus.

p. 44 Amph. II. 1. 79 sub lemm. blatis Nonius scripsit: Qui, malum, intellegere quisquam potis est? ita nugas blatis; Pall. blattis.

p. 85 Asin. III. 1. 16 sub lemm. casteria Nonius habet: Quispol si repulsavi [Pall. reposui aut reposivi] remum, sola ago e. q. s.

p. 128 Asin. V. 2. 87 sub lemm. iudicatum Nonius: Male cubandum est: iudicatum me uxor ducit [Pall. abducit] domum.

p. 139 Aul. II. 2. 57 sub lemm. mordicitus Nonius: Asini me mordicitus [Pall. mordicus] scindant, boves incursent cornibus.

p. 151 Asin. III. 1. 14 sub lemm. portisculum Nonius: Et meam partem loquendi et tuam trado tibi: Ad loquendum et ad tacendum tu ut habeas portisculum. Pall. pro tu ut: tu te, quod hic nihil est.

p. 151 Asin. IV. 1. 47 sub lemm. perpexabile Nonius: nec ullum verbum faciat perpexabile, Pall. neque... perplexibile, melius.

p. 509 Aul. II. 4. 38 sub lemm. deplorabundus, de hoc loco cf. supr. — Accedunt hic quoque loci, qui hoc solo commentario servati sunt, in Pall. non inveniuntur. Sunt hi loci:

p. 44 ex Amph. sub lemm. larvatus: Larvatus. Edepol hominem miserum medicum quaeritat.

p. 105 ex Amph. sub lemm. exiuravisti: exiuravisti dixe te mihi per iocum?

p. 453 ex Amph. sub lemm. furem: Manifestum hunc obtorto collo teneo furem flagitii.

p. 454 ex Amph. sub lemm. ingredi: Nihilne te pudet, sceleste, populi in conspectum ingredi?

Hi loci omnes et in Pall. infuisse possunt; in Amphitruone enim fabula multa desunt; sed quin in A quoque fuisse possint nemo dubitabit. Nunc autem hic versus, quem

Nonius p. 76 ex Amph. sub lemm. praesente citat, in Pall. fuerit, dubitandum est. Invenimus enim l. c. versum, qui ab A. Maio numeratur ut

II. 2. 194, a Goetzio, Ussingio, Fleckeiseno ut spurius omnino omittitur. Additus est hic versus: nec notis praesente aliquis quisquam nisi servus, primum a Pio „e codice reverendae fidei" ut dicit ipse. Sed Pium totum hunc locum ex hoc Nonii loco et ex Afranii versibus, qni et ipsi a Nonio hic citantur, composuisse, demonstravit Ussingius. Sed utut res se habet, sine ullo dubio Nonius in suo commentario hos versus legit, quos in Pall. aliquo casu excidisse nulla re testatur. Quis igitur dubitabit, quin ex alio fonte hauserit is commentator, quo Nonius usus est?

Quod autem hic quoque multi loci sunt, qui ex hoc minore commentario sumpti cum Pall consentiunt, demonstrare nihil potest, quia, ut supra de priore commentario ostendimus, A et Pall in permultis locis consentire in re ipsa positum est. Hic quoque omnes illos locos breviter enumerabimus.

p. 43	sub	lemmate	verna: Amph. I. 1. 25.[1])
p. 43	„	„	concinnas: Amph. I. 3. 31.
p. 44	„	„	calcitronem: Asin. II. 3. 11.
p. 45	„	„	verberas: Aul. I. 1. 3.
p. 45	„	„	cassam: Aul. II. 2. 14.
p. 79	„	„	baiulabo: Asin. III. 3. 70.[2])
p. 85	„	„	coquinatum: Aul. III. 1. 3.
p. 112	„	„	frausus: Asin II. 2. 20.
p. 118	„	„	gerrae: Asin III. 3. 10.

1) Apud Nonium et in Pall. hic versus est: hic, qui verna natus est, queritur, quem quare Ritschelius: „natust, conqueritur" emendaverit, non intellego. Secuti sunt eum Fleckeisenus et Ussingius.

2) Hic locus apud Nonium est: Ego baiulabo, tu, ut decet dolonum, ante me ito inanis, quod omnes codd. dant. In Pall. pro dolonum, quod nihil est, dominum invenimus, quod quamquam facile per errorem scriptoris in dolonum transire potuit, tamen haud scio an Pall. non exscriptos esse doceat.

p.	128	sub lemmate	involant: Amph. I. 1. 190.
p.	128	„ „	inpendio: Aul. prol. 18.
p.	144	„ „	numellus: Asin. III. 2. 5.
p.	148	„ „	occepso: Amph. II. 2. 41.
p.	148	„ „	osa sum: Amph. III. 2. 19.
p.	151	„ „	piem: Asin. III. 1. 3.
p.	152	„ „	praesegmina: Aul. II. 4. 33.
p.	152	„ „	pipulo: Aul. III. 2. 31.
p.	171	„ „	superbun: Amph. I. 1. 201.
p.	439	„ s	mutuum et fenus: Asin I. 3. 95.
p.	439	„ „	nutat, nictat, adnuit: Asin IV. 1. 39.
p.	453	„ „	usu: Amph. II. 2. 215.
p.	454	„ „	versutum: Asin. I. 1. 106.
p.	454	„ „	auscultate: Asin. III. 3. 59.
p.	454	„ „	defecato: Aul. I. 2.1.
p.	455	„ „	beluam: Aul. III. 6. 25.
p.	455	„ „	cantat: Aul. IV. 3. 1.
p.	509	„ „	coctum: Aul. II. 4. 46.
p.	541	„ „	limbolarii: Aul. III. 5. 45.
p.	541	„ „	flammarii: Aul. III. 5. 36.
p.	541	„ „	crocatarii: Aul. III. 5. 47.


Ut postremo omnia, quae in hac quaestione invenimus, breviter recapitulemur, vidimus, nullum locum Plautinum a Nonio allatum certe demonstrare, non ex A sive e fonte, unde postea A fluxit, commentarios, quibus Nonius usus sit, hausisse; certe e Palatinis non fluxisse, quae habuit commentarius prior, in undetriginta versibus vidimus, quae habuit commentarius posterior, in viginti quattuor versibus. A autem fuisse fontem commentarii prioris certe apparuit versibus viginti tribus; quin in ceteris quoque versibus, cum Palatinis consentientibus, quamquam possent Palatini fontes fuisse, tamen, si haec omnia consideraverimus, ex Ambrosiana recensione hauserit Nonius, non dubitabimus.

Sententiae controversae.

Versus Plaut. Curc. IV. 1. 2 coniecturis, quae extant, nondum sanatus hac mea coniectura sanatur:

Sycophantam an halophantam magis esse dicam nescio.

Locum Iuven. sat. I. 115 — 116 coniectura ab Heinrichio allata: „Quoique salutato crepitat crotalistria nido“ optime esse restitutum censeo.



Maximilianus Hennig de vita sua.

Natus sum Schoenecki, oppidulo Borussiae occidentalis, a. d. IV. cal. Mai. anni h. s. LXI patre Henrico, matre Maria de gente Trantmanniana, quos vivos adhuc veneror. Fidei addictus sum evangelicae.

Litterarum elementis a parentibus instructus, cum pater Argentoratum Bor. occ. domicilium transtulisset, huius oppidi progymnasium, tum gymnasium adii, quod, cum parentes in oppidum Riesenburg se contulissent, cum gymnasio Mariae insulano mutavi, ubi magis magisque Brocksio, praeceptore carissimo, cuius auspiciis nunc quam maxime floret illud gymnasium, auctore ad classicorum studia amoremque adductus sum. Adeptus autumno anni h. s. LXXX maturitalis testimonium, ut philologiae studiis me dederem, universitatem Berolinensem, anno post Gryphiswaldensem, mensi Oct. anni praeteriti academiam Albertinam adii, cuius civibus per unum semestre eram adscriptus. — Per septem semestria audivi hos professores clarissimos:


Berolini: **Kirchhoff, Mullach†, Müllenhoff†, Robert, Vahlen, Zeller;**

Gryphiswaldiae: **Credner, Kiessling, Reifferscheid, Susemihl, de Wilamowitz-Moellendorf;**

Regimonti: **Friedlaender, Jordan, Ludwich, Schade, Voigt,**
quibus ago agamque semper gratias quam maximas.




U. C. BERKELEY LIBRARIES
C045894353


270046
Hennig
UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY